



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**CONCILIO||RVM QVATVOR GENE=||ralium. Niceni.
Constantinopolitani. Ephesini. et Calce=||donensis. Que
diuus Gregorius magnus tanq[uam]|| quatuor Euangelia
colit ac veneratur.||**

Merlin, Jacques

Coloniae, 1530

VD16 M 4842

Iacobi Merlini Doctoris Theologi Epistola. Iacobus Merlinus Doctor
Theologus, ad christianos lectores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72934)

TOMVSSSE

CVNDVS CONCI

LIVM GENERALIVM.

Practica quinte synodi Constantinopolitane. fo. I.
Sexta synodus Constantinopolitana. fo. XXXVI.
Acta concilij Constantiensis. fo. XCII.
Decreta concilij Basiliensis. fo. CLXXXIII.
Approbatio actorū concilij Basi. p. A. P. fo. CXCIII.
Confirmatio constitutionum Frederici et Karoline.
Folio. CXCVI.



GIACOBI MERLINI DOCTORIS THEOLOGI EPISTOLA.

Jacobus Merlinus Doctor Theologus, ad christianos lectores.



QVAMQVAM MVLTORVM librorū lectio sanctorū hominum sententia improbetur, illorū presertim qui plerorūq; homines a via recta in aliam abducūt, & uenena quēdā quasi tinnulis uocibus, Syrenarūq; cantibus subministrant. Horū nichilominus usus summo opere exquiritur, quorū doctrina solatiū simul atq; remediū languenti, & prope deficienti orbi, uelut quoddam egritudinis refrigeriū prestare dignoscitur. Cuiusmodi sunt hi qui de priscis uniuersaliū, atq; provincialiū conciliorū, necnon orthodoxorū patrum definitionibus acta referunt. Quos ob eam rem e puluere & tenebris reuocandos, & in presentem lucē proferendos censui, ut cognoscat generatio altera, & filij qui exurgent enarrent posteritati, & in propulsandis sui temporis erroribus parentes suos emulentur. Si enim perfidorū quorundā hominū iam damnate redeunt opiniones, rursus fieri potest ut quandoq; succrescant errorū seminaria, eēdem quoq; repullulent hareses, nouelli deniq; excitentur illufores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus, semetipsos segregantes, animales, spiritū non habentes. Qua de re consentaniū, & prope modū necessarium fuit illa repetere instrumenta, unde dudum cū suis erroribus prolirati, iugulati, confossi q; authores sunt, ut qui sensui herent proprio, & ueritatem rursus opprimere moliantur, mortū integritatē labe factare, iura item peruertere, ueterum instaurare blasphemias, priscorū sententijs teneantur, atq; merito sacrosanctorū conciliorū censuris coerceantur. Iam & diuina auctoritas iterum luciferianā, elatam, incompositam, & rebellem arrogantā feriat, quā humana nondū ualuit frangere potestas. At ne putes Christiane lector amplius rebus dandū, derogandum ue q; res ipsa exigant, & hos quos palam legēdos offero codices plus dignitatis, auctoritatis ue obtinere q; equū sit, te imprimis cōmonendū duxi, ut ad presatio nem operū diui Iudori properes, ubi se opido cōturbatū fuisse cōmemorat, dum canonum sententijs colligeret, eo maxime quod concilia quę greco sunt edita stilo, amplius quā tripliciter, uel quadrupliciter conscripta reperiat, uarias quoq; sententijs diuersas significationes reddere. Ex quo colliges nō esse omnino a suspitione alienos codices quos ex grecorū promptuarijs ad latinas manus incerti authores reddiderunt, nisi prius Romana ecclesia tenendos decreuerit, & ad hanc prope modū accedunt sententiā quod restantur nōnulli se ex bonis grecis mala accepisse latina, & Ambrosius in explanatione epistolę ad Romanos. 1. 13. id a nōnullis factū affirmat, ut sibi auctoritas prescribere uideretur, dū ratio adiumentum prestare non sufficiebat. Quod dixerim ne ignores in quem culpa reſciendi ueniat si interlegendū non nihil occurrat quod te (ut perperā translatum) offendat, aut plane stomacho nō satifaciat. Nam si authentica, integra, solida, & a mendis expertia fuerint exemplaria, unde hec fideliter excerpta sunt, apprimē castigata sunt, pura, uera, & sincera que profero, suorum archityporum quidē germanam conditionem preseruentia, quę si grato animo tuleris, prope diem (confide) ampliora nostris te sudoribus asssecuturū, interim. Vale.